34.6. F.14.12
12

AD BALTHASAREM STVNICAM

EX REGIO SVPREMO PACIS BELLIQ. CONCILIO EIQ. QVOD DE STATV ITALIAE EST PRAEFECTVM.

IVLII CAESARIS STELLAE

ARCIS ABBATIÆ,

AD VVLTVRNI FONTES

COMITIS

Ab intimo Summi Pontificis Cubiculo.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ROMÆ, Ex Typographia Iacobi Maſcardi, MDCXXII.

SVPERIORVM PERMISSV.

Digitized by Google

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſſimo P. Mag. Sacri Palatij Apoſt.

A. Epiſc. Catin. Viceſg.

Imprimatur, Fr. Gregorius Donatus Romanus Mag. & Reuerendiſſimi P. F. Hyacinthi Petronij Romani Sac. Apoſt. Pal. Mag. Socius, Ord. Prædic.

Digitized by Google

EIDEM S. D.

IN Sermonibus, quos ſæpè cum Antonio Caetano primæ Nobilitatis, pariſquè prudentiæ, ac doctrinæ Cardinali vſurpare ſoleo, incidimus interdum in laudes tuas; Quis enim de bellorum, ac pacis apud Gallos, Belgas, Germanos ſtatu loquatur, qui non incurrat in mentionem iudicij, pietatis, induſtriæ tuæ, qui cum ad illos Regis Legatum gereres, de toto hoc rerum publicarum genere ſumma cum prudentia, ac fide tractaſti? Erat eodem quo tù tempore apud Cæſarem Summi Pontificis Internuncius Cardinalis, quem proxime nominaui, nec vos tunc magis negotiorum, ac communis officij neceſſitas, quàm virtutis, morumq. nobilitas ad amorem mutuum conciliauit, meo bono, nam cum vobis intimè notus eſſem, non difficulter euenit, vt in mei commemorationem meæq. Columbeidos laberemini; Quod à te factum non ſemel, cum Cardinalis Caetanus mihi retuliſſet, repræhendit negligentiam in te obſeruando meam, dixitq. diuerſam eſſe hominum inter ipſos aut in Deum amoris conditionem, gnaram eſſe eorum voluntatem Deo, nobis neceſſarios congreſſus mutuos, colloquia, ac dum abſentes ſumus literarum ſaltem communicationem Hortatus ideò me eſt, vt aliquid litterarum ad te darem in obliterationem ſilentij pœnæ contumacis; Addidit in hoc illi ſe Comitem Maphæus Barberinus multiplicis in vtraque lingua eloquentiæ, probitatis, expertiq. iudicij Cardinalis, tibi probè Gallia cognitus, vbi veſtrorum Principum, hic Pontificis, tù Regis, mirè concordes, cum vterque ad boni publici amplificationem incumberetis negotia gerebatis, inſtitit is mihi, vt eſt etiam in Arte poetica ſingularis, vt ad te vtpote Muſarum alumnum, eloquentem, doctumq. poeticè ſcriberem; Parui non inuitus tantis Hortatoribus, Odamq. hanc compoſui tùm vt deditæ meæ tibi iampridem voluntati ſatisfacerem, tùm vt ad tuæ redintegrationem gratiæ, ac conſuetudinis iter, quod mihi ipſe longa taciturnitate clauſeram, aperirem rurſus, repeteremq. poſteà ſedulo, quod mihi magnæ foret exiſtimationi, tibi verò non iniucundum ac fortaſsè vſui, neque enim nouus ad Regis ſeruitium adſcribi precor, vetus iàm Miles hic in Vrbe, vt iuſſus ſum, apud eius Oratores mereo,

Digitized by Google

quorum omnium ad Regem extant mandata literis, meæ non inutilis operæ teſtimonia, ob quæ gratus Rex Pater ſuus non inhonoratum me eſſe voluit, tituloq. Comitis decorauit, quin aliqua Regiæ liberalitatis portiuncula aſperſit, quod eſſe mihi voluit potius laborum futurorum incitamentum, quàm præteritorum præmium; Hoc enim mihi à Philippi Quarti Regis ſua ſponte Virtutum omnium Patroni, beneficentia ſperandum foret, niſi ab eius Maieſtate, ac poenè ſupra humanæ ſortis faſtigium altitudine, tantum meæ humilitas conditionis diſſideret, vt ſpes omnis mihi ad eius notitiam propius accedendi, niſi tu aditum aperueris, intercludatur, qui nuper Adoleſcentiæ iter, atque Imperij, æquè vtrumque lubricum, fœliciter ingreſſus, firmo pede viriliter imprimit, glorioſè decurſurus; primoq. ſtatim in limine ea prudentiæ, ac conſtantiæ veſtigia fecit, vt oſtenderit in ætatis teneritate robur virilis animi, ac firmitatem reperiri, ſi is virtutum ſemina à diligenti Cultore ſparſa, libenter conceperit, compræhenderitque, eaq. mox præceptorum, ac domeſtici exempli irrigatione coaleſcant, dum Solis æterni, qui hunc quem videmus condidit, ab Aura ſancti Spiritus permulſa calor firmauerit, quæ omnia cum in Regem iſtum maximum, iam Alumnum tuum, diuina quadam quaſi virgula concurrant, quanto is celerius ad Imperij, quod vix Solis curſu terminatur, gubernacula acceſſit tantò magis fidenter, & res arduas aggredietur, & non excluſus ætatis anguſtijs glorioſè perficiet, nouiq. inſtar Dauidis, iuſtiſſima Dei cura, ac miniſter, in nos inſultanti Goliæ, hoc eſt Hæreſi, Turcicæq. ſuperſtitioni caput fortiter obtruncabit, auream mihi, vberemq. ad noua Poemata ſegetem, ac materiem præbiturus. Intereà eius auguſtiſſimo nomini Columbeidem meam integram, cuius duos priores libros, quos iam publicaueram multa incude recuſos ſeuerius recognoſco inſcriptam typis imprimam, tuæq. & cenſuræ ſubijciam, & tutelæ, ſi tantum mihi de tua benignitate conceſſeris, quam illa à Ioanne Velaſco nuper Caſtellæ Comeſtabile conſobrino tuo promeruit, nec eſt cur verear te ab eius quem cœteris in virtutibus expreſſiſti, in hoc vno voluntate diſceſſurum. Vale.

DI-

DILECTE Muſis optime BALTHASAR
E STVNICARVM ſanguine Principum,
Quos pace præclaros, & Armis,
Iurè prior celebrauit Ætas,
At noſtra fruſtrà, vix imitabiles,
Ni tu vetuſtis maior Auis fores,
Æquare tentaret, tuaq.
Intereà ſibi laude plaudit,
Tu cùm huc ad Vrbem ſingula durius;
Interpretantem, ſed tibi, quem Decor
Implumis inſignibat Oris,
Pronam animis, veniens adiſſes,
Vt vidi, vt imis me tibi ſenſibus
Muſarum amanti, quas colo, dedidi
Virtutis admirator auctæ
Luce Domus, ſpecieq. vultus;
Quin iunctus arcto ſanguine, ſed magis
Amore tecum, Regis Iberici
Legatus introſpexit altæ
Indolis, obſtupuitq. florem,
Dixitque, quantos Planta recens feret
Matura fructus? haud ſatis, haud ſatis
Hiſpanus Orbis, tot graueſcet
Fronde comans viridante pomis;
Magniq. curas muneris, Herculi
Ceù feſſus Atlas, ſic Iuueni ſenex
Conceſſit interdum, ſtetitq.
Regium onus potiore tergo
Hinc è relictis ocyus Italis
Hiſpanam ad Aulam grande voras iter,

Et te reformandum IOANNI
Das COMITISTABILI VELASCO;
Vt Nauta vaſti iam vetus Æquoris
Ad fræna currus veliuoli rudem
Natum vocaturus, tacentem
Multa docet, monitisq fulcit
His ille fidens arida Syrtium
Scyllamq. tuta naue perambulat,
Securus vndæ, perq. nigri
Arua ſalis equitantis Auſtri:
Sic te ſequentem ſponte per ardua
Negotiorum frater ad intimum
Cubile Virtutis præiuit,
Dux dubij, ſociusq. callis;
Tunc Rege miſſus pacis ad inſcios
Belgas & acres ſeditionibus
Gallos, honoratosq. ſacro
Teuthonas Imperio petiſti;
Ter te Theatris Inclyte maximis
Rei ſtudentem STVNICA Regiæ,
Tot Regna ſuſpexere tantæ
Æquum animis, humerisq. moli,
Priuata Regis commoda, publicis
Attemperantem, dum vetus integra
Authoritatis de ſubacta
Hæreſe Relligio triumphet:
Hæc nota per præludia, quo graues
E fonte motus Orbis, & intimæ
Fluxere cauſæ, cur quietus
Pacem ageret, ſtreperetuè bello,

Te Rex

Digitized by Google

Te Rex probatum, Concilij vocat
Partem in ſupremi, per quod, vt ætheris
Sol ſigna ter quatterna curſu
Idem obit atque alius quotannis,
Sic ille ſenſus per Procerum, ſuos
Plerumque ducit, Te tamen omnium
Quos legit inſtar, ad latentes
Sæpè adhibet ſine teſte curas.
Natique, qui nunc Sceptra tenet, ſpei
Admouit, vt Te ſub Duce Regios
Formaret in mores Iuuentæ
Nondum etiam ſubeuntis annos;
Quod ille tanti pondus ad Imperi
Immane, vires attulerit pares
Clauumq. prudens in vadoſis
Puppe ſedens moderatur vndis,
Crebrisq. Regum naufragijs Mare
Infame, curſu tutius imbuit,
Auum relaturus regendo,
Morte Patrem, ſed vtroque maior
Virtute, & annis, non leuis abripi
Vento appetentis cuncta Licentiæ,
Non Turbine Iræ, non Amoris
Æſtibus, aut Odij procellis,
Sùi ipſe Rector, maximus omnium
Quoſcumque fortis vidit Iberia;
Id Rege ſub iuſto futurus
Proſperior, tibi debet Orbis;
Hoc lætior dum Regia prouidus
Arcana curæ, ſcriptaq. Rex tuæ

Digitized by Google

Commiſit, expertus fidelem
Conſilijs, timidumq. falli.
Reiq. præſis iuſſit vt Italæ
Princeps videntis talia Concili
Dum parte iam commota belli
Intumet horribiles in vndas
O quæ voluptas ætheris incolæ
Mentem VELASCI fratris inebriat
Dum mira deſpectans Alumni
Facta ſui, minor eſſe gaudet:
Prudens ab illo pectus, & emori
Vllo inſolentem tempore Gloriam?
Longos ſed annos & ſecundam
Ex alijs imitare ſortem:
Ambos ſacrabo carmine, at interim
Errore dulci, ceù modo viueret?
In te recognoſcam IOANNIS
Effigiem venerans VELASCI.